



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0460

Sabato 25.09.2004

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DEL 17° CENTENARIO DEL MARTIRIO DI SAN BENEDETTO (SAN BENEDETTO DEL TRONTO, 3 OTTOBRE 2004)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DEL 17° CENTENARIO DEL MARTIRIO DI SAN BENEDETTO (SAN BENEDETTO DEL TRONTO, 3 OTTOBRE 2004)

In data 31 luglio 2004, il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato l'Em.mo Card. Silvano Piovaneli, Arcivescovo emerito di Firenze, Suo Inviato Speciale alla celebrazione del XVII Centenario del martirio di San Benedetto, in programma a San Benedetto del Tronto il 3 ottobre 2004.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta da:

- Rev.do Mons. Romualdo Scarponi, Prelato d'Onore di Sua Santità, Vicario Generale della Diocesi di San Benedetto del Tronto e Parroco della Parrocchia di San Benedetto Martire;

- Rev.do Mons. Giovanni Anelli, Cappellano di Sua Santità, Canonico Penitenziere della Cattedrale di San Benedetto del Tronto.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale, Em.mo Card. Silvano Piovaneli:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro

SILVANO S.R.E. Cardinali PIOVANELLI

Archiepiscopo olim Florentino

Turbam magnam, cuius visio in Apocalypsis libro describitur (Cfr *Apoc.* 7, 9-17), iure optimo invictis de martyribus Patres Ecclesiae interpretantur. Inde a christianis enim primordiis innumeri fuerunt ac cuiuscumque conditionis, sexus atque aetatis qui letales sibi in odium fidei inflictos cruciatus patienter toleraverunt, ita ut in

Dominica vinea numquam defuerit sanguinis testimonium. Inter illos «qui laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni» (*Ibid.*, 14) sanctum Benedictum dilectissimi filii Picentes peculiari nunc modo suspiciunt, cuius exuviae in cognomini oppido iuxta Truentum flumen dudum quiescere dicuntur; vertentem namque in annum septingentesimus ac millesimus anniversarius dies feliciter incidit ab effuso incliti Christi testis cruore.

Qua de re Nos certiore non immerito fecit Venerabilis Frater Gervasius Gestori, Episcopus Sancti Benedicti ad Truentum-Riparus-Montis Alti, ut eminentem Praesulem sane impetraret, qui illius gratia sollemnitatis missus Nostram personam gereret Nostramque simul mentem ostenderet. Quippe cum postulationem istam censuerimus audiendam equidem esse, ad te, Venerabilis Frater Noster, mentem prorsus convertimus, qui ob pastorem sollicitudinem in archidioecesi Florentina olim adhibitam peraptus Nobis videtur ad hoc munus commode obeundum.

Hasce per Litteras te igitur Missum Extraordinarium deligimus ac constituimus ad saeculares celebritates dictas die III proximi mensis Octobris peragendas.

Tuum primum erit omnibus, qui istis intererunt sollemnibus, Nostra omina et hortamenta proferre nec non liturgicis celebrationibus nomine Nostro praesidere. Astantes porro alloqueris quantum imitari martyrem Benedictum oporteat diuturnum testimonium praebendo, etiam ac praesertim in adversis, christianae oboedientiae usque ad vitae exitum, quia «devotae mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est» (S. Hier., *Ep. CVIII*, 31, in PL 22, 905).

Quamobrem eosdem item cohortaberis ad omnes curas habendas ut eiusdem martyris cultum arcte copulent illi etiam praestando erga augustam Reginam martyrum, quam, cum Christo semper coniunctam iuxta quoque crucem, «plus quam martyrem non immerito praedicamus, in qua nimirum corporeae sensum passionis excesserit compassionis affectus» (S. Bern., *In "Signum magnum"*, 14).

Benedictionem demum Apostolicam, supernae gratiae nuntiam et propensae Nostrae voluntatis testem, volumus ut Nostra auctoritate omnibus participantibus peramanter impertias, dum tibi interea, Venerabilis Frater Noster, omnia bona in Domino precamur munus efficaciter ac frugifere expleturo.

Ex Arce Gandulfi, die VI mensis Augusti, anno Domini MMIV, Pontificatus Nostri sexto ac vicesimo.

IOANNES PAULUS II

[01169-07.02] [Testo originale: Latino]
